



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1670

Quæst. 6. Vtrùm objecta contingentia absoluta simul, & semper, atque adeo ab æterno, & in æternum præsentia physicè fint æternitati Dei. A talique præsentia subinde habeant, esse cognoscibilia; ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77011)

QVAESTIO VI.

Vtrum obiecta contingentia absoluta simul, & semper, atque adeo ab aeterno, & in aeternum praesentia physice sint aeternitati Dei. A taliq; praesentia subinde habeant esse cognoscibilia; cognoscique a Deo in se ipsis simul, & semper, atque adeo ab aeterno, & in aeternum.

77 **Q**uestionem hanc tractatam iam relinquimus supra disput. 9. quaest. 2. Neque ibi dictis quidquam hic addere necessarium est. Oportuit tamen eius hic facere mentionem, remittereq; hinc Lectorem ad dictam disputationem: eoquod a plerisque Auctoribus solet hic tractari; tamen, me iudice, oportuniorem ca. ibi sibi vindicet locum.

QVAESTIO VII.

An, & quomodo cognoscat Deus obiecta contingentia absoluta in se ipso, aut etiam ex se ipso, in aliquâve, aut ex aliquâ formalitate sui, ut omnipotentia, scientia, idea, aut volitione de obiectis ipsis.

78 **S**uppositâ vniuersali doctrinâ traditâ supra disput. 25. de cognitione, qua Deus in se, & ex se, in aliquâve, & ex aliquâ formalitate sui cunctas creaturas tam existentes, quam possibiles, necnon omnia non entia, & mala cognoscit, atque adeo omnia obiecta cognoscibilia, necesse non est, ut in praesenti quidquam de obiectis contingentibus, quod ad rem attineat, per otium in speciali dicamus. Tamen multi quaestionem hanc speciatim tractent de illis. Sat erit summam, & breuissimè doctrinam vniuersalem traditam ibi obiectis contingentibus applicare.

79 **I**taque Deus per scientiam comprehensiuam sui in sua omnipotentia, in ceterisque suis formalitatibus sumptis quoad entitatem omnia obiecta contingentia cognoscit, quatenus nequit se comprehendere, nisi ex vi cognoscendi se cuncta, quae ad se pertinent, etiam cognoscat: ad se autem varijs ex titulis pertinent contingentia. Cognoscit item in sua entitate prout connotant contingentia omnia illa titulo connexionis semiextrinsecæ, quam ab illis ut sic participat. Secus ratione connexionis intrinsecæ, quam nullam cum eis habet. In coniuncto etiam ex se, & ex contingentibus resultante illa cognoscit titulo connexionis intrinsecæ, quam tale coniunctum cum eis habet tanquam totum quoddam cum sua parte. In scientia item de illis sumptâ quoad denominationem cognoscit Deus contingentia per actum reflexum. Necnon in eorum ideis; in quocunque demum conceptu consistat idea iuxta dicenda a nobis inferius disput. 29. Cognoscit præterea Deus contingentia in Verbo, & Spiritu sancto, prout ipsum contingentium est Verbum, & Spiritus sanctus. Cognoscit insuper in quouis actu suae voluntatis de contingentibus ipsis quoad denomi-

nationem accepto, ut sicque cum illis connotato. In quocunque autem tanquam in medio cum eis connotato cognoscit Deus contingentia titulo connexionis, etiam titulo comprehensibilitatis cognoscit per eius comprehensionem. Et, quaecunque contingentia Deus in se, aut in aliquo sui predicato cognoscit; etiam ex se, & ex tali predicato cognoscit per aliam cognitionem. Quae omnia ex dictis vniuersalibus, & comprobatis dictâ disput. 25. quaest. 2. & sequentibus conspicua erunt vnicuique illa recognoscenti, & ad propositum applicanti; ut facillimè poterit.

80 **C**eterum, quanquam hæc ita vniuersè, succinctèque dicta satis videbantur ad rem: quia tamen plerique multa speciatim hic solent tangere de cognitione futurorum contingentium absolutorum in decretis diuinis, maioris abundantia gratia, & ut omnibus morem geramus, nonnulla & nos de eiusmodi cognitione adijciemus.

81 **P**ro quo supponendum imprimis est, decretâ circa futura contingentia multa, & diuersa excogitari posse in Deo iuxta doctrinam de illis fusè tradendam in tract. de Providentia Dei. Etenim futurum contingens aut in se, aut in sua causa potest a Deo decerni efficaciter. In se quidem, si ipsum sit obiectum decreti. In causa autem, si decretum ad causam solùm terminetur, ex qua illud infallibiliter sequendum est. Vtrumque autem istud decretum aut potest esse purè intentionium, aut purè executionium, aut mixtum. Purè intentionium erit, si nequeat per se determinare omnipotentiam Dei ad executionem obiecti decreti; bene tamen voluntatem eius ad eligenda media efficacia pro tali executione. Purè autem executionium, si omnipotentiam ad executionem obiecti determinare valeat; non item voluntatem ad media eligenda. Mixtum verò, si vtrumque præstare possit. Iam verò futurum contingens, circa quod est decretum, aut potest esse effectus solius Dei, aut Dei simul, & causæ creatæ, cuiusque vel necessariæ, vel liberæ. Quo casu decretum in talem effectum tendens, aut potest esse specialis prædefinitio eius, aut decretum concursus generalis, quem Deus præstat causis creatis.

82 **D**einde est supponendum, discussionem præsentem posse procedere aut iuxta sententiam Connotantium, qui decretum Dei per extrinsecum connotatum complent aliquo modo; aut iuxta sententiam non Connotantium, qui illud profus intrinsecum ipsi Deo constituunt.

83 **D**enique supponendum est, hic non esse locum exarandi, quamnam huiusmodi decretorum reperiantur in Deo. Id namque ad tractatum de Providentiâ diuinâ pertinet. Tamen aliqui huc importunè huiusmodi examen intrudant, ut absolute possint decernere in quibus decretis cognoscat Deus futura contingentia. Sed malè. Quia id est confundere materias diuersis subnixas principijs. Quare nos non absolute, sed ex hypothesi, quod dentur in Deo hæc, aut illa decreta, quomodò Deus possit, aut non possit in illis futura contingentia cognoscere, breuiter definiemus, ut sequitur.

Propositio 1.

84 **D**eus, ut certò cognoscat futura contingentia, nullo omnino decreto eget tanquam medio determinante ad eorum cogni-